



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. Quo sensu, Fides Dei vt remuneratoris, sit necessaria
necessitate medij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

men esse, quod communi & recepto loquendi modo etiam ille dicatur exercere Charitatem adversus alterum, & illi velle bonum, qui vult aliquid videns esse alteri bonum, esto illum non habeat pro fine C VI. dummodo non dicat: se perinde voluturum esse, si esset malum illius illique displiceret. Jam ergo, qui bene operatur Meritorie, semper attendit ut regulam, Dei Beneplacitum (ut in 2. lib. declaratum est) & sic dicitur amare Deum latius loquendo, licet non habeat Deum pro Fine C VI, ut etiam lib. 3. tr. de Merito dictum est.

400. Objicit Ripalda 3. Cornelium Centurionem, qui priusquam à Petro fidem edoctus esset, faciebat opera meritoria, unde ab Angelo audit: Orationes tuas, & elemosynas tuas ascenderunt in conspectu Dei. Porro in Cornelio nullam fuisse fidem strictè dictam conatur probare ex S. Hieronymo, asserente, Cornelium ignorasse legem Judaicam. R. 1. hoc argumentum iterum solvendum esse ipsi Ripaldæ, nam S. Hieronymus loco illo, nempe in cap. 3. ad Galat. asserit, in Cornelio fuisse fidem talem, per quam Abraham & Moyses, & ceteri Sancti ante legem Scriptam Iustificati sunt: ergo habuit fidem sufficientem ad Iustificationem: atqui hæc est fides stricta, ut fatetur Ripalda. Ergo S. Hieronymus nihil juvat causam Ripaldæ. R. 2. Cornelium habuisse fidem strictam Dei remuneratoris, sicut habuit Job & alij: immò S. Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. dicit: Nullo modo ista operaretur (orationem & elemosynam) nisi vel secretis per visam mentis aut Spiritus admonitionibus vocaretur. Ecce! motivum fidei strictè dictæ. Adde, Cornelium non ignorasse doctrinam & acta Christi Domini, ut constat ex verbis S. Petri ad domesticos Centurionis: Vos scitis quod factum est Verbum per universam Judæam &c. indeque motum orasse Deum pro ulteriore instructione, & hæc erat oratio fidei, quæ pertinet ad fidem strictè dictam, ut jam supra diximus.

CONTROVERSIA III.

Quo sensu Fides Dei ut Remuneratoris, sit necessaria necessitate Medij.

401. Consentiant Theologi eam aliquo modo esse Necessariam Necessitate Medij, ob Testimonium S. Pauli ad Hebr. 11. dicentis: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Verum in assignando Gradu hujus necessitatis, item in assignanda Radice seu causa hujus necessitatis, ac denique in illius extensione, magna est inter illos dissensio.

Prima sententia docet, hanc necessitatem fundari vnicè in libero Dei arbitrio, nolentis aliter iustificare, quàm præcedente tali fide. Ita quidam RR. apud Lugo, quibus ad stipulandum videtur Hurtadus.

Secunda sententia est, hanc fidem esse necessariam necessitate physica antecedente, hoc est, ex Natura rei, seu ex natura actus illius, qui est ultima dispositio ad Iustificationem: v. g. ex natura Amoris seu Contritionis extra Sacramentum, & ex natura illorum actuum, qui sufficientiam faciunt Sacramento. Ita habet communior sententia.

Tertia sententia docet, esse tantum necessitatem moralem, propter summam difficultatem eliciendi Amorem Dei super omnia, nisi aliter tur homo cognitione Dei ut Remuneratoris, quæ non potest haberi sine Fide. Ita Lugo.

Quarta sententia docet, ne quidem esse necessitatem moralem, quæ univèrsam & semper intervenire, sed tantum Regulariter esse necessitatem, hoc est, ad iustificationem regulariter & communi modo obtinendam, quatenus communiter homines solent ita per Gradus procedere ad actum imperfectioribus ad perfectiores; & de hac habet necessitatem esse intelligendum S. Paulum, cum de solis infidelibus primò ad fidem accedentibus, non verò de Fidelibus, quos sepe sine hac fide iustificari vult hæc sententia, quæ est Ripaldæ, & magnà ex parte Arriagæ.

402. In hac opinandi diversitate mihi forte per magis arrisit sententia secunda, quia communis, quia magis conformis verbis S. Pauli, & quia sententia fundat se in argumentis metrogativis, divinando possibiles actus iustificationis, in S. Scriptura non fundatos, & ideo nec ad iustificationem aut praxin servit, nec habet aliquam utilitatem Metaphysicam, multò minus Theologicam. Primum & Tertium membrum non habet quæ probatione. Secundum membrum probatur à Paulo videtur equali necessitate requirere fidem Dei existentis seu Loquentis & Remunerantis, quia uno contextu de utraque loquitur: atqui prior est necessaria necessitate physica & antecedente: ergo & posterior.

403. Confirmatur. Quia S. Paulus videtur voluisse declarare, quidnam ex parte objecti representari debeat voluntati, ad hoc ut possit accedere ad Deum per illos actus voluntatis, qui requiruntur ad iustificationem: ergo videtur voluisse indicare, illud ipsum objectum esse tale, ut attingi debeat per actus justificativos: atqui cognitio hæc est physice necessaria ad actum voluntatis, quia nihil volitum nisi præcognitum. Ergo &c. Itaque, sicut si quis diceret mihi: Volentem amplecti sententiam aliquam, oportet cognoscere fundamenta illius; vel: volentem amplecti sententiam Religiosam, oportet cognoscere naturam illam, talinquam utique declararet necessitatem physice cognitionis prærequisitam, ita S. Paulus videtur voluisse declarare, quid ex parte objecti sit necesse cognosci, ut possit homo peccator accedere ad Deum per illos voluntatis actus, qui sunt necessarij ad iustificationem. Ratio autem fundamentalis esse videtur, quia Revelatio Finis visum, ad quem debent ordinari actus supernaturales & gratiæ prævenientes, videtur esse fundamentum.

mentum, cui quodammodo ininitantur reliquæ Revelationes de honestate aliarum virtutum, vt conducente ad finem vltimum supernaturalem. neque enim puto dari vllum actum supernaturalem meritorium, qui non aliquo modo respiciat Deum vt Finem Vltimum Supernaturalem, saltem sub aliqua ratione confusa, iuxta ea quæ præcedentibus controversijs dixi.

CONTROVERSIA IV.

An & quomodo sit necessaria Fides Trinitatis & Incarnationis.

404. DICO 1. Fides explicita Trinitatis & Incarnationis est necessaria adultis necessitate medij, in Re, vel in Voto. Ita Suarez, Lugo, Pallav. & nisi fiat quaestio de modo loquendi, debet esse omnium. Probat. Illud est necessarium necessitate medij in Re, vel in Voto ad justificationem, quod est per se ordinatum, vt positivè concurret aliquo modo ad justificationem, & est sub præcepto, sicque continetur in dilectione Dei, & quacunq; voluntate Dei servandi omnia præcepta, tanquam in voto seu desiderio implicito illius, vt declarabo pluribus Tri: de Euchar: sed talis est fides Trinitatis & Incarnationis. Nam imprimis adulti priusquam baptizentur, debent de his mysterijs instrui, vt habet Ecclesiæ praxis, & tunc fides explicita horum mysteriorum est dispositio illa de qua loquitur Tridentinum sess. 6. c. 6. præterea hæc fides est sub præcepto, vt videbimus: denique adultus non justificatur, nisi habeat propositum servandi omnia præcepta: ergo à primo ad vltimum, nihil deest, quominus sit hæc fides explicita necessaria necessitate medij in Re, vel in Voto.

405. Major difficultas est, an sit in Re necessaria necessitate medij. Affirmant quoad Incarnationem Lorca & Corduba vniuersum etiam de ijs qui Christum præcesserunt: Alij verò, vt Canus, Ledesma, Bannez, Aragonius, Valent. Sanchez, limitant hanc necessitatem ad statum legis novæ, seu post Christi adventum.

406. DICO 2. Non est in Re necessaria Fides explicita Trinitatis necessitate medij. Nam ex S. Paulo hoc non colligitur, nec ex eo, quod in Baptismi forma Trinitas explicitè sit invocanda; nam nec Baptismus est necessarius in Re, nec est necesse, vt suscipiens formam intelligat.

407. DICO 3. Fides explicita Christi nec ante, nec post adventum, est in re necessaria. Probat. à Suarez quoad primum membrum ex Tridentino, sess. 6. c. 1. dicente, ante adventum Christi mysterium illud fuisse à Deo aliquibus Patribus declaratum ac promissum: supponit ergo non fuisse generatim omnibus manifestatum, adeoque fidem explicitam illius non fuisse in re necessariam. Secundum membrum probat Lugo ex oppositi duntaxat, quod simplices sapè non consequerentur

Gratiam in sacramento penitentia. Neque etiam ex S. Scriptura hæc necessitas evinci potest, cum intelligi possit vel de necessitate præcepti, vel de fide Christi non vt objecti, sed vt causæ meritoria, vel præcisè asserit, fidem esse medium idoneum ad consequendam salutem.

408. Obijcitur præcipue S. Augustinus, qui pluribus in locis videtur exigere fidem explicitam Christi. Verum explicanda sunt, vt diximus de Scriptura; & cum loquatur etiam de illis qui fuerunt ante adventum, est etiam adversarijs explicandus. Insuper etiam requirit fidem mortis & resurrectionis. Pari modo, quando Tridentinum hanc fidem numerat inter dispositiones, intelligendum est: Regulariter eam intervenire, sicut etiam enumerat timorem, qui non est necessarius necessitate medij.

CONTROVERSIA V.

Quomodo Fides sit sub Præcepto.

Veniunt hic dubia quædam practica brevissime expedienda, quia passim in Summis videri possunt.

409. Dubitatur 1. Quorum articulorum fides explicita sit sub præcepto in lege nova. R. Esse fidem articulorum comprehensorum in symbolo Apostolorum; hanc enim exigunt Concil. Agathense, Bracharense, Cabionense, relata in can. Non liceat 18. de Consecr. dist. 4. & seqq. etiam à necdum baptizatis. Ratio est, quia Apostoli divinâ inspiratione comprehenderunt præcipua & substantialia capita Christianismi: atqui Christianus tenetur scire ea quæ sunt suæ Religionis substantialia.

410. Circa hoc tamen advertunt DD. communiter, non requiri sub gravi culpa notitiam exactam omnium quæ ibi continentur, sed sufficere si cognoscantur eâ ratione, sub qua verbis illis crasso modo significantur. v. g. satis est cognoscere, Christum esse Deum & hominem, quin distinctè cognoscatur vnitas in Persona & distinctio in naturis: item satis est, cognoscere esse tantum vnum Deum, eumque esse Patrem, Filium, & Spiritum S. quia distinctè cognoscatur vnitas naturæ in tribus personis. pari modo non est gravis culpa, ignorare, quod Christus sub Pontio Pilato passus sit, quod fuerit sepultus. Videtur tamen esse gravis obligatio, credendi explicitè, non solum Christum esse passum, sed esse crucifixum, quia non solum Apostoli distinctè commemorant, sed etiam Crucis signum velut insigne gentilitium Christianorum est à Christo constitutum, & ideo communiter docetur, esse gravem obligationem nosse formationem Crucis.

411. Secundò: probabilius est, esse gravem obligationem credendi explicitè descensum ad inferos. Ratio est, quia licet aliqua eorum, quæ ab Apostolis solum vt circumstantiæ articulo-

fff

rum